DE TRICHINIASI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. MENSIS JULII ANNI MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS TENHOLT,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
A. STIMPEL, CAND. MED.
TH. VOSS, CAND. MED.
A. HARWART, CAND. MED.

GRYPHIAE.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

MATRI

OPTIMAE DILECTISSIMAE

SIGNUM PIETATIS.

Morbus, qui appellatur Trichiniasis, nostri temporis morbus nominari possit, non tamquam nostra demum memoria ortus, sed quia nostris temporibus primum animadversus cognitus est. Nunc quoque nonnulli hunc morbum mere commenticium esse volunt, et inprimis lanii sunt, qui notis de causis hunc morbum negare conantur. Attamen trichina re vera adest; immo vero natura, trichinae generatio, trichiniasis ipsa tantopere jam intellectae sunt, ut de hac re doctrina fere exhausta haberi possit.

Anno millesimo octogintesimo tricesimo secundo Hilton vir anatomiae gnarus primus trichinam, corpusculum album in cadavere humano invenit, naturam quidem hujus corpusculi non intelligens. Tribus annis post Owen trichinam vermen in corpore humano habitantem demonstravit, eamque spiralibus a versationibus trichinam nominat spiralem. Quo ex tempore trichina saepius in cadaverum sectionibus inventa est, sed trichina in corpore habitante morbum gravem fieri posse, nondum constabat. Anno milesimo octingesimo sexagesimo Zenker trichina morbum letalem affectum esse observavit, et ex eo tempore epidemiis gravibus conflictati sumus, quarum inprimis notandae sunt: Epidemia Hettstädt, Plauen, Calbe, Rügen, Burg, Magdeburg, Quedlinburg. His epidemiis

medicis magnum studium excitatum est accuratius explorandi morbi usque ad hoc tempus ignoti. Primo adspectu permirum videri possit, epidemias supra nominatas tam subito, quasi ex nubibus delapsas esse. Num trichiniasis ultimis in decenniis orta sit, quaerimus? Nullo modo; jam prius adfuit at non cognita sed aliis cum morbis confusa est. Causa, quare trichiniasis nostris primum temporibus cognita sit, in discrimine magno inter nostram et veterum diagnosim sita est. Quanta, exempli causa, fuit olim vis Rheumatismi, quam angusta nunc! a veteribus trichiniasim saepius in magnum Rheumatismi circulum insertam esse, verisimile est. Multo autem certius constat, nostrum morbum cum veneficio, quod dicimus Wurstgift, esse contusum. Num sit venenum farciminum specificum, an non, hoc loco non amplius exponam; venenum autem supra dictum neque chemica neque microscopica quaestione demonstrari potest. Anno MDCCCXIV in silva, quae dicitur Schwarzwald, duabus in domibus diversis, propinquis, omnino novem homines, qui suillis faciminibus fructi erant, morbo quodam affecti sunt; aegrotorum, prima hebdomade peracta, quattuor mortui sunt: symptomata erant haecce: fauces siccae, ravis, sitis acerrima, debilitates maximae, symptomata, quae, ut infra demonstrabitur, insignia in trichiniasi sunt. Fortasse quaestio microscopica in his aegrotis trichinam morbi causam indicasset. Microscopium omnino unum eorum instrumentorum est, quae, postquam medicis usui praebita sunt, diagnosim nostram multo certiorem et faciliorem reddunt; sine microscopio nobis quoque ignota esset trichiniasis.

Denique breviter trichinae generationem atque anatomiam consideremus. Discernimus trichinas musculares et trichinas intestinales. Trichina muscularis, longitudine $\frac{1}{2}-\frac{1}{4}'''$, generis Nematodum, corpus habet cylindro simile, cujus pars anterior, acutior posteriore caput nominatur; bestiola in versatione spirali inhabitat fibram muscularem; quo major natu bestiola eo numerosiores hae versationes, quod pulcherrime in trichinis, alteris XXII dies natis, alteris III menses natis discernere potui. Sub microscopio trichinae muscularis velamen externum conspicitur, et a capite usque ad anum pertinentem canalem, organon digestivum, videmus. Velaminis duae discernendae sunt laminae, quae maxime manifestae fiunt, si sub microscopio disjunctam trichinam acubus dilaceravimus, qua manipulatione lamina interna introrsus revolvitur. Corpori trichinae praeter organon digestivum alias quoque partes inesse, conspicere potui; num in his manifesta genitalia, non contendam; Leuckart, aliique de trichina diligenter perscrutati in trichina musculari disjuncta genitalia esse putant. Semel tantum in partem canalis digestivi posteriorem alium canalem intrantem, ut in trichinis intestinalibus scilicet maribus, me animadvertisse puto. Trichina muscularis, primis XIV diebus peractis paullatim capsula circumdatur, quam capsulam ipsam ejusque originem Virchow primus nos docuit. Trichinae enim, ut quodlibet in corpore praesens alienum corpusculum irritationem inflammantem efficiunt, qua irritatione et sarcolema condensatur et cellularum formatio luxurians nascitur; substantia musculosa, sarcolemati circumfusa in degenerationem adiposam transit. In capsulam, secundo mense

post immigrationem trichinarum perfectam paullatim massa calcaria dijicitur qui processus incretatio nominatur; capsula formarum est diversarum: rotundarum, cylindro similium piriformium e. a.; interdum duae trichinae in una capsula habitant. Postquam caro trichinis venenata in ventriculum hominis vel alius animalis ingesta est, trichinae mox disjunguntur, capsulae succo ventriculi resolvuntur, trichinae transeuntes in intestinum (si quidem ante ingestionem nondum mortuae erant) celeriter crescunt ad longitudinem $1\frac{1}{2}'''$, quo ex tempore trichinae intestinales nominantur. Trichinae intestinales aut mares aut feminae sunt; mares a feminis processibus duobus, valde parvis, in corpore posteriore sitis, discernuntur. Canalis genitalis oriens bulbosus prope anum, deinde usque ad tertium fere partem anteriorem pertinens subito reflectitur, ut in Rectum intret. Trichina femina major quam trichina mas est; canalis ejus genitalis recta via a posteriore parte ultra mediam bestiolam currit, ut in vaginam, cujus introitus punctum nigrum velaminis interdum animadvertitur, influat. Canalis genitalis media pars paullum constricta est, qua strictura totum organon genitale in duas partes, posteriorem seu ovarium, anteriorem seu uterum dividitur. Ovarium multa ovula, uterus multa embrya post conceptionem continet. Trichinae intestinales vivos parunt fetus; coitum II vel III die post infectionem, IV vel V diebus postea fetuum emissionem incipere putamus. Fetus longitudine 0,06''' mox migrationem suam ineunt, perforantes intestina, ubique musculos et quidem eos, qui voluntate moventur, indagantes. Postquam hic advenerunt, in fibras musculares ineuntes spi-

raliter reflectuntur, quo ex tempore trichinae musculares, jam descriptae, nominantur. Trichinarum intestinalium fatum aliud est: Non ambulantes in musculos, sed saepe quartuor hebdomades in intestinis permanentes tandem simul cum excrementis vivae vel mortuae ejiciuntur.

Celeritatem, qua trichina migrans moveatur, tantam esse aestimat Rupprecht, ut uno minuto spatio sui ipsius corporis longitudine promoveatur. Octavo die post infectionem trichinas in colli musculis jam invenimus. Trichinae non sanguinis circulatione promoventur, alioquin multorum animalium, trichinis experimenti causa venenatorum, in pulmonibus, hepate, liene e. a. trichinas invenissemus. Musculos, qui voluntate moveantur, ea de causa trichinas petere, aestimat Leuckart, quod iis musculis plus, quam ceteris, telae cellulosae inessent, et quod trichina telam cellulosam filum terminationis sumeret; eadem de causa cordi nunquam trichinas inesse alii autores putant.

Morbus trichiniasis.

Aetiologia. Causa trichiniasis, ut ex iis, quae supra diximus jam intelligi potest, trichina est, ita ut trichina contagium, morbum trichiniasim efficiens nominari possit, contagium quidem manifestius nobis quam contagiosorum morborum ceterorum, quoniam microscopio illud in adspecto ponere possumus. Homo carne trichinosa fructus trichiniasi inficitur, quae caro plerumque suilla est. Alia quoque animalia, ut cuniculi, feles, glires, mures ad trichiniasim patent, sed a talibus animalibus morbus noster non est timendus, quod cuniculi carne non

vescuntur, nisi experimenti causa carnem trichinis venenatam iis inferimus, ceterorum autem supra nominatorum animalium caro ab homine repudiatur.

Mirum est, quod in quibusdam animalibus adhunc nunquam trichinas musculares inveniamus, ut in bubus columbis, gallinis, quamvis in his animalibus, si carnem trichinosam per vim iis inferimus, trichina intestinalis non raro oriatur. Causa fortasse vis est specifica sacci enterici illorum animalium, ita ut trichinae praecipue earum fetus succo necati, intestino non perforato, cum excrementis ejiciantur. Compluribus ranis carnem trichinis vivis completam per vim intuli: in ranis, quarum aliae tertio die, aliae octavo die, aliae decimo die, postquam venenatae sunt, miscroscopio perquirebantur, nusquam trichinas musculares animadvertere potui; in intestino autem nonnullae trichinae repertae sunt, quae quidem facile trichinas illas, vi in fauces illatas, quarum capsulae consumptae erant agnoscere potui; ipsae non vivebant, neque ulla manipulatione vita revocata est; ex quo effici cogique potest, trichinas illas, antea vivas et alacres, succo ranarum enterico necatas esse. Tali modo boum e. a. succus entericus, si non trichinam intestinalem, verumtamen fetus necare possit. Alias quoque esse causas, ob quas boves, canes, oves e. a. trichinas musculares non recipiant, certum est. Sine dubio experimenta non satis diligenter instituta sunt. Cuniculi, quos Eldenae simul cum Dr. Fuerstenberg carne trichinosa experimenti causa cibaveram, non semper trichinas musculares receperunt; eventus maxime tutus erat, si pabulatio ventriculo cuniculorum vacuo instituta erat. Fortasse

fieri potest, ut ventriculo animalium pleno capsulae trichinarum succo enterico minus vel haudquoquam penetratae non consumantur, sed trichinis nondum liberatis cum faecibus ejiciantur.

Quamvis boves, canes gallinas e. a. trichinas musculares recipere posse, probatum non sit; tamen hominem illis animalibus vel eorum carne fruentem nullo modo posse infici trichiniasi, contendere nolumus. Quum enim in animalibus supra nominatis trichinae minime intestinales oriantur, et etiam trichinae intestinales in alius animali vel hominis ventriculum forte ingressae fetus emittant, trichiniasim accipere possumus, si forte trichinas intestinales simul cum cibis nostris consumsimus.

Qua de re ut mihi esset persuasum, Eldenae haecce experimenta feci: Sui, aliquot menses natae a. d. XIX menses Maj. cuniculi intestinum, multas trichinas intestinales continens, praebitum est. Ante pabulationem intestinum microscopio perlustrantes praeter trichinas jam gravidas et nonnullos mares fetus dissolutos nondum invenimus. Cuniculus a. d. XIII Maj. carne trichinas continente cibatus erat. Sus singulas intestini partes, farciminum modo ligaturis disjunctas avidissime edebat.

Morbi symptomata non animadvertebantur. A. d. III Junii, postquam paululo antea de bona suis valetudine atque de cibi appetentia certior factus, jaculo hamato (Harpune v. Weber in Halle) ex musculis cervicis et pectoris partes singulae exemptae sunt. Trimae hujus modi operationum sine eventu duae fuerunt, tertia autem nonnullas trichinas attulit; neque spirales versationes neque capsulae aderant, sed bestiolae prostratae inter fibras musculares non fa-

cile animadverti potuerunt. A. d. X Junii sus mactata est; usque ad hoc quoque tempus morbi symptomata in primis debilitates animadverti non poterant. Sectio nobis in adspectu posuit haec: Nulla intestini inflammatio; in omnibus fere musculis trichinae capsulis jam circumdatae; in diaphragmatis, colli, pectoris, alvi maxima trichinarum copia; in linguae et extremitatum posteriorum musculis minus copiosae, in auris et cordis nullae. Quamvis illa secundum experimenta fieri possit, ut homo trichinis intestinalibus morbo trichiniasi afficiatur tamen hoc raro accidat, quoniam suum intestina raro, immo nunquam eduntur, sed ad farcimina facienda tantum adhibentur, quod ad propositum ita purgantur, ut infectionem non afferre posse videantur, etiamsi sus trichinis intestinalibus laboraverit. Id quidem sine dubio ex experimentis apparet, sues trichinis laborantes vicissim excrementis sese inficere et tali modo periculum trichiniasis atque endemiam augeri.

Causa igitur frequentissima morbi trichiniasis sola fere carnis trichinosae ingestio est. Caro recens et cruda trichinosa semper, cocta vel assa, vel sale condita conditionibus, ad quas infra redibo, infectionem affert. Trichinarum quidem copia exigua symptomata exigua vel nulla efficit, sed exigua carnis pars multitudinem trichinarum quam maximam continere potest, ut in semuncia una XXM trichinae repertae sint; quum autem quaeque trichina in intestino LXXX saltem fetus ejiciat, semuncia una in hominem plus quam decies centena millia trichinarum transportare potest.

S y m p t o m a t a. Rupprecht trichiniasis stadia tria

distinguit: 1) stadium ingressionis, seu trichinarum ingestionis 2) stadium digressionis, seu trichinarum migrationis 3) stadium regressionis, seu trichinarum invelationis seu stadium reconvalescentiae. Stadium ingressionis semper VIII dies durat, quóniam septimo die trichinae fetus migrare incipiunt. Spatium stadii secundi pendet ex trichinarum in intestinis commoratione, dum enim in intestinis permanent iterum iterumque embrya accipiunt atque emittant; stadium tandem regressionis seu reconvalescentiae multo minus quam anterius spatio certo determinari potest, sed pendet ex aegroto ipso et morbi malacia. Nonnullis horis post carnis trichinosae receptionem jam nauseola, cibi fastidium; die secundo vel tertio subito vomitus, diarrheoa cum colica abdominali prima morbi symptomata sunt. Haec symptomata proximis diebus invicem frigora invicem calores, membranorum debilitates sequuntur, quibus quidem molestiis aegrotus in lecto sese tenere non debet. Initio hebdomadis secundae febris manifesta talis fit, ut lectus non sit relinquendus; deinde palpebrae subito tumescunt, oedema mox supra faciem totum progreditur, aegroto dolores, haud ita graves, efficiens; eodem fere tempore catarrhus conjunctivalis cum mydriasi oritur, oedemate supra totum corpus semper a centris peripheriam versus extenduntur.

Extremitatum motus magis magisque impeditur, musculorum paullum contractorum impressio facillima aegroto dolores qua mmaximas affert; musculi, qui manducationem efficiunt, contracti oris et linguae motus impediunt, vox rauca magis magisque redditur — quae omnia symptomata ut facile intelligi potest, ex trichinarum in muscu-

jos immigratione pendent. Mydriasis aetiologiam, qualem Rupprecht descripsit (musculum dilatatorem pupillae, quod propius ad musculorum rectorum insertionem, quam sphincter situs esset, magis quam sphincterem trichinis in rectos immigratis iritari) equidem veram credere non possum. Mydriasis omni et intraoculari et extraoculari compressione nascitur quia hoc compressione nervi oculomotorii functio impeditur, oedemate autem m. rectorum bulbum oculi comprimi facile intelligimus. Praeterea trichinae intestinales, ut omnes intestini vermes nervum sympathicum irritant, qua irritatione mydriasis quoque oritur. Febris secunda hebdomade non ita ardens, omnino vesp. 38°—38,5° C. matut. 37,8—38° ut Rupprecht et Haubner observarunt. Symptoma maxime molestum sudor profusus cum foetore insigni, quem Rupprecht multrig nominat. Tertia hebdomade febris augetur usque ad temperaturam 41,° C.; sitis ardens, calor mordax, urina rara propter sudores profusos.

Deinde sensorium usque ad hoc morbo non affectum in deliria interdum transgreditur; extremitates antea paullum flexae prostratae sunt, aegrotus jacet in tergo cruribus distensis; respiratio frequentissima et parva propter trichinas in musculos respirationis profectas; musculi sphincteres simile de causa ad functiones peragendas inepti sunt, et crebro hoc tempore aegroti ex musculorum respirationis paralysi obeunt. Decubitus, tertia hebdomade plerumque accedens mali est ominis. Nonnulli autores de cordis palpitationibus certiores nos faciunt, aequidem valde angentibus, atque immigrationem in cor causam esse verisimilem, judicant. In corde autem tri-

chinae nondum repertae sunt; quamvis cor suis supra nominati sicut corda aliorum animalium trichinosorum diligenter perscrutatus sim, ne ullum quidem trichinarum vestigium inveni. Fortasse pectus anxium, quod palpitationibus effici putant, causa palpitationum est, sicut sine dubio magnum vim habet ad sudores profusos. Si aegrotus reconvalescit, quae reconvalescentia plerumque V vel VI hebdomade incipit, febris et oedemata minuuntur, cibi appetentia, urina augentur. Hebdomade X exacta aegrotus ad labores sustinendos consuetos jam aptus est; quo tempore compluribus roconvalescentibus capillos decidere sed celeriter crescere contendunt. Quae ratio trichiniasis pergravis est; introxicationes leviores in hoc sicut in aliis morbis acutis observantur, quoniam trichinam ipsam venenum non esse, sed non nisi trichinas numerosas tantum in musculis et in valetudine reactionem afferre scimus. Complicationum trichiniasis pneumonia maxime periculosa est. Semper fere a sinistra pneumonia accedens febri subito aucta, punctionibus laterum, sputis designantibus nunciatur; tandem auscultatione et percussione cognoscitur; plerumque aegroti hac complicatione perniciosa obeunt. Secundum autopsias nobis ex epidemia Hettstädt traditas, pneumonia embolica est, quum in lobulis pneumonicis semper infarctia viderentur et multis in venis thrombi reperti essent; tales thrombos, scilicet eorum particulas usque ad pulmones profluere, ibidem capillares obstruere atque inflammationem efficere, aliis quoque morbis probatum est. Ceterae complicationes, pleuritis e. a. minus perniciosae sunt.

Trichiniasis, qua pueri laborant, multo facilior; morbus celerius superatur, mors rara. Pueri, dissidentes a majoribus natu, sub sopore, situ curvato in latere jacent. Commemorandum est, in feminis plerumque dysmenorrhoeam animadverti, quam Rupprecht menstruationem praecocem, Röhler menstruationem cessantem habet. Neque in utero, neque in ovariis trichinae usquam repertae sunt: neque foetus animalis trichinosi unquam trichinas continebat. Feminae etiam, quae gravidae trichiniasim superaverant, natos bene validos perpererunt; dysmenorrhoea igitur trichinis in uterum invectis effici non potest. Rupprecht menstruationis praecocis causam fluxionem collateralem habet, quam quidem fluxionem oedemate prope uterum sito oriri putat. Tametsi ex iis, quae supra diximus morbi symptomata manifesta apparent, nihilomus accidit, ut interdum animalia, trichinis laborantia, symptomatibus non manifectis vel nullis praesentibus, subito moriantur. Horum animalium tum subitae mortis causam sanguinis quandam intoxicationem esse Dr. Fürstenberg putat, quum intestinis valde perforatis, capillaribus multis laesis, materia noxia ex intestinis recta via in sanguinem traduceretur.

Diagnosis. Si quaestione microscopica in aegroti excrementis vel in musculi particula excisa trichinae inveniuntur, non dubitabimus, quin morbus praesens sit trichiniasis; sed in trichiniasi vera saepius jaculo hamato (Harpune) sine eventu, ut supra diximus, uti possumus; itaque multo certius si pro jaculo hamato cultro utimur. Sine microscopio proximis V diebus, trichiniasis ab aliis morbis, qui symptomatibus similibus

incipiunt: typho, febri gastrico e. a. certissime distingui non potest, nisi carnis trichinosae ingestionem antea experti sumus. Ineunte secunda hebdomade symptomata tam insignia et specifica apparent, ut morbi diagnosis differentialis etiam sine microscopio nulli medico difficilis esse possit. Oedemata trichiniasis pro erisipelate non habebimus; tantum erisipelatis cutem rubrum, splendentem, margines circumscriptas, dolores ardentes in memoriam reduco, dum trichiniasis tumoribus illa symptomata designantia non insunt. Porro rheumatismi tumores raro quidem tam magni et profusi sunt, neque unqum tam manifeste a centro peripheriam versus progrediuntur, quam nostro in morbo; attamen in diagnosi differentiali ravis praesens, catarrhus conjunctivalis, respiratio permolesta, mydriasis in rationes referenda sunt. Etiam a morbo Brigthii trichiniasis facillime distinguitur, quoniam nobis exquirendum est, num in urina albumen insit, annon; praeterea morbi Brigthii oedema ea de re proprium est, quod tum crebro loca sua commutat.

Therapia. Magni momenti trichiniasis remedia prophyloctica sunt; aut caro trichiniosa omnino non edenda aut caro ante ingestionem ita praeparanda est, ut trichinae forte praesentes necentur. Ad finem primum assequendum institutum microscopicum ubique instituendum propositum est (Fleischschau) quod quidem ad hoc tempus non in usu est. Carnis igitur praeparandae acuratius commemorationem faciam. Trichinarum vivacitas lenta; immo multos per annos in musculis vivere possunt, etiam in capsulis jam incretatis vivae repertae sunt. Rupprecht trichinas frigori — 18° R.

Leuckart — 20° R. exposuit, et bestiolae vivae permanserunt. Carnem etiam coctam vel assam trichiniasim attulisse dicunt; coquentis ne aquae temperaturam trichina ferre possit? nullo modo! Inter inscios coquere et assare aliis aliud est. Cibo cujusdam generis, Cotellets, certe ab insciis asso nominato, fibras internas complures crudas inesse saepe animadverti. Temperatura fervens carnem penetrare debet, quod ut fiat, caro in partes quam minimas dissecanda est. Secundum experimenta ab Haubner et Küchenmeister instituta, trichinae temperatura L—LX° R., qua albumen coagulatur, necatae sunt. Pabulationes etiam carnis trichinosae, diligenter dilaceratae et X″ temperaturae XL° R. expositae semper sine eventu permanserunt. Alius carnis praeparandae modus, quem trichinas necare putant, sale carnem adspergendi est; sed Zenker, postquam caro, eo modo praeparata, ingesta est, trichiniasim animadvertit.

Colberg trichinas sale soluto post horae quartam partem obire, Rupprecht post horas I—II trichinas in sale soluto etiam vivas observavit. Sine dubio effectus ex salis soluti qualitate pendet. Rupprecht solutione I ad V usus est. Si trichinis sub microscopio disjunctis guttam salis soluti (ʒj : ℥j) attuleram, bestiolae primum fortius se movebant, III—V minutis post motus quiescebant neque ulla manipulatione (calefaciendo e. a.) vita revocari potuit. Carnem quoque fumo infectum, ut farcimina, pernas, non semper periculo vacuum esse, experientia nos docuit; qui casus tantum ad sufficiones celerius exactas pertineant; attamen, si caro ritu guestphalico complures per menses in fumo suspenso fuit,

sine periculo talem carnem edi contendam. Novissimis annis multa experimenta facta sunt, quae remedia indicationi morbi responderent: oleum terebinthinae, kali picronitricum, tanninum, arsenicum, benzinum tentarunt. Olea pinguia trichinas disjunctas celeriter necant. Si trichinis sub microscopio disjunctis unam guttam glycerini attuli, necans effectus hujus remedii celeriorem atque manifestiorem se praestitit, quam sal solutus supra nominatus. Si vero glycerinum trichinas disjunctas tam celeriter necat, tamen hoc remedium in ventriculum ingestum, deinde multis corporis apparatibus mutatum ac dilutum non tantum efficere potest effectum. Kali picronitrico nullam vim inesse, Mosler et Fiedler experimentis probaverunt. Arsenicum a Böhler in epidemia Plauen tentatum prosperum eventum non attulit.

Benzino in hominum et aliorum animalium trichiniasi Mosler usus est atque, ut Virchow de hac re dicit „mit verhältnissmässigem Erfolg angewandt, so dass es der Beachtung verdient.“ Benzinum certe secundum experimenta, quae Mosler instituit, trichinas intestinales necat et effectum quendam noxium in musculares quoque trichinas efficit. Si trichinis sub microscopio disjunctis muscularibus guttam benzini attuli, trichinae paullulo antea alacres quinque vel sex minutis post mortuae erant, neque ulla manipulatione vita revocari potuit. Aliud experimentum, quod feci, hoc est: carnem, vivis trichinis completam, in vitro ℥vj, cui benzini ℥ij infuderam, suspendi, ita ut caro benzinum fluidum non tangeret; XXIV horis post trichinae mortuae erant; III horis post expe-

rimentum inceptum nonnullas trichinas vivas, alias jam mortuas inveni.

Benzinum propter gustum amarum in capsulis gelatinosis recipi, Mosler suadet; in epidemia Quedlinburg tali modo receptum est:

℞ Benzin. ʒij
Succ. Glycyrrh. dep.
Mucilag. gumm. mimos. aa ℥j
Aq. menth. crisp. ℥iv.
M. D. S. 1—2stündl. einen Esslöffel.

Si Rupprecht benzinum remedium contra trichiniasim rejicit, quod et morbus trichiniasis primo stadio medico tractanda rarissime tradatur et etiam dosis, quanta ad effectum opus sit, ab homine aegroto sine incommodo sumi non possit, contradicam: trichinas recens natas non solum primis diebus morbi migrare, quoniam trichinae intestinales, usque ad quartam hebdomadem in intestinis saepe permanentes, iterum iterumque fetus emittant, morbum autem eo magis letalem fieri, quo major sit trichinarum invectarum numerus. Hominem autem aegrotum sine incommodo benzini dosim non ita parvam ferre posse, epidemia Quedlinburg, ubi trichinis laborantibus benzini magnae doses praebitae sunt, intelligere possumus: conf: „Das Benzin und seine anthelmintische Wirkung v. Mosler.“

In vasta epidemia Hettstädt, Rupprecht mercurio dulci cum prospero eventu usus est. Remotionem trichinarum intestinalium remediis mitibus laxentibus magni esse momenti, facile intelligi potest. Trichiniasim benzino simul cum mercurio dulci tractare optima ratio esse possit.

Saepe remidiis aliis, ut symptomata singula vel complicationes superemus, utendum esse apparet; certe interdum chinium contra febrem ardentem vel remedia excitantia contra collapsum minitantem aegrotis praebere debemus. In stadio reconvalescentia remedia roborantia recipi necesse est.

Prognosis. Si casus trichiniasis letalis, qui ex epidemiis Hettstädt, Plauen e. a. nobis traditi sunt, respicio, trichiniasi laborantium circiter pars decima obit. Pneumonia accedens mali est omnis, quia omnes trichiniases cum pneumonia finem letalem inierunt. Trichiniasis, quae ab initio stadii primi bene tractabatur, prognosis multo melior est, quam morbi secunda vel tertia hebdomade medico ad tractandum traditi, quoniam eo casu indicatione causali optime remediis modice laxantibus respondere possumus. Etsi nunc quoque a multis contenditur, medico nulla contra trichiniasim esse remedia, tales voces ab insciis dictae inciorum sunt, a medico ipso dictae hunc medicum nimium confidentem significant remediis, quae sunt in ipsius manibus.

Tandem non possum, quin hoc loco ill. Pr. Dr. Mosler nec non Dr. Fürstenberg experimentis meis valde faventibus gratias agam quam maximas.

VITA.

Natus sum Fridericus Augustus Tenholt anno hujus saec. XXXIX die XI. mensis Junii in Guestphaliae urbe Horstmar, patre Johanne, quem fato valde praematuro mihi ereptum lugeo, matre Francisca e gente Laudick, quam superstitem pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis ab Hagemann pastore imbutus, Gymnasium Monasteriense deinde Warendorpiense IV per annos frequentavi. Anno LX h. s. maturitatis testimonium Warendorpii nactus Monosterium me contuli, ubi unum per annum in studium philosophiae incubui; deinde Gryphiam profectus sum, ubi a Rectore Magnifico Baumstark receptus et ordini medicorum ad scriptus sum. Per novem semestria audivi:

Monasterii:

Ill. Clemens: de logice.
Ill. Rospatt: de historia nova.
Ill. Deycks: de Horatii satiris.
Exp. Niehues: de Romae historia.
Ill. Wieniewski: de Sophoclis Antigone.
Ill. Schlüter: de philosophiae apud Graecos historia.
Exp. Altum: de zoologia.

Gryphiae:

Ill. Baier: de psychologia.

Ill. Huenefeld: de mineralogia.

Exp. Heinecke: de ossium fracturis et luxationibus; de syphilide et morbis cutis.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia nervorum capitis, de physiologia, de embryologia; idem mihi dux fuit in cadaveribus rite dissecandis.

Ill. de Feilitzsch: de physice.

Ill. Limpricht: de chemia organica et anorganica, idem mihi dux fuit in exercitationibus analyticis.

Ill. Muenter: de zoologia.

Exp. Hertz: histiologia normali, de se — et excretis pathologicis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Ill. Bardeleben: de chirurgia, de akiurgia, de herniis; idem dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico et in operationibus in cadavere institutis.

Ill. Grohe: cursum anatomiae et histiologiae pathologicae, de hominis parasitis.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali, de percussione et auscultatione, de psychiatria; idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Mosler: de percussione et auscultatione, idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de morbis mulierum et neonatorum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Schultze: de vasorum et nervorum anatomia.

Exp. Jessen: de botanice.

Exp. **Schirmer**: de opthalmiatrice, idem dux mihi in exercitationibus ophthalmoscopicis.

Exp. **Bengelsdorf**: de arte formulas medicas concinnandi.

Cel. **Schwanert**: de chemia pharmaceutica.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas, semperque habebo.

THESES.

I.

Trichiniasis epidemiae supprimendae non medico, sed civitati sunt.

II.

Sustentatio parturientium perinei, non lege artis accurate exacta rupturae perinei periculum auget,

III.

Exploratio physicalis non sufficit ad diagnosim differentialem inter pneumoniam et pleuritidem constituendam.

IV.

Farciminibus venenum specificum non inesse, contendo.